



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**LIBRI || OFFICIALIS || SIVE AGENDAE S.|| TREVERENSIS
ECCLESIAE PARS || POSTERIOR, IN QVA IAM PRIDEM
RECEPTI ET || longa consuetudine confirmati
Catholico-||rum ritus, quasi in vnum corpus ...**

Jakob <III., Trier, Erzbischof>

Trevorum, 1576

VD16 ZV 206

Initia quatuor Euangeliorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-75472](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-75472)

Oremus. Prætende domine famulis,
& famulabus tuis dexteram cœlestis
auxilij: vt te toto corde perquirant: &
quæ digne postulant, consequi mere-
antur. Per Christum dominum no-
strum. *Respon.* Amen.

INITIA QVATVOR EVANGELIORVM.

Secundum Mattheum.

Iber generationis Iesu Christi fi-
lij Dauid, filij Abrahã. Abrahã
genuit Isaac. Isaac autem genuit Iacob.
Iacob autem genuit Iudam. & fratres
eius. Iudas autem genuit Phares, &
Zaram, de Thamar. Phares autem ge-
nuit Efron. Efron autem genuit Arã.
Aram autem genuit Aminadab. Ami-
nadab autem genuit Naason. Naason
autẽ genuit Salmõ. Salmõ autẽ genuit
Boor

Booz de Raab. Booz autem genuit Obed ex Ruth. Obed autem genuit Iesse. Iesse autem genuit Dauid regem. Dauid autem Rex genuit Salomonem, ex ea quæ fuit Vriæ. Salomon autem genuit Roboam. Roboam autem genuit Abiam. Abias autem genuit Aza. Aza autem genuit Iosaphat. Iosaphat autem genuit Iorã. Iorã autem genuit Ofiam. Ofias autem genuit Ioathan. Ioathan autem genuit Achas. Achas autem genuit Ezechiam. Ezechias autem genuit Manassen. Manasses autem genuit Amon. Amon autem genuit Iosiam. Iosias autem genuit Iechoniam, & fratres eius in transmigratione Babilonis. Et post transmigrationem Babilonis Iechonias genuit Salathiel. Salathiel autem genuit Zorobabel. Zorobabel autem genuit

nuit Abiud . Abiud autem genuit Eliachim. Eliachim autem genuit Azor. Azor autem genuit Sadoch. Sadoch autem genuit Achim . Achim autem genuit Eliud. Eliud autem genuit Eleazar . Eleazar autem genuit Mattham. Mattham autem genuit Iacob . Iacob autē genuit Ioseph, virum Mariæ, de qua natus est Iesus: qui vocatur Christus.

Secundum Marcum.

Initium Euangelij Iesu Christi filij Dei. Sicut scriptum est in Isaia Propheta, (Ecce ego mitto āgelū meum ante faciem tuam qui præparabit viam tuam ante te.) Vox clamantis in deserto, parate viam domini, rectas facite semitas eius. Fuit Ioannes in deserto baptizans, & prædicans baptismū pœnitētię in remissionē peccatorum.

Et egre-

diebatur ad eum omnis Iudeæ regio, & Hierosolomitæ vniuersi: & baptizabatur ab illo in Iordanis flumine, confitētes peccata sua. Et erat Ioannes vestitus pilis cameli, & zona pellicea circa lumbos eius: & locustas & mel siluestre edebat. Et prædicabat dicēs: venit fortior me post me: cuius non sum dignus procumbens soluere corrigiam calceamentorum eius. Ego baptizauī vos aqua: ille vero baptizabit spiritu sancto.

Secundum Lucam.

Fuit in diebus Herodis regis Iudeæ, sacerdos quidam nomine Zacharias, de vice Abia: & vxor illius de filiabus Aaron, & nomen eius Elizabeth. Erant autem iusti ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & iustificationibus Domini sine querela. Et non erat illis filius, eo quod

X esset

esset Elizabeth sterilis, & ambo processissent in diebus suis. Factum est autem, cum sacerdotio fungeretur Zacharias in ordine vicis suæ ante Deum, secundum consuetudinem sacerdotij forte exijt, vt in censum poneret ingressus in templum Domini. Et omnis multitudo populi erat orans foris hora incensi. Apparuit autem illi angelus Domini stans a dextris altaris incensi. Et Zacharias turbatus est, videns: & timor irruit super eum. Ait autem ad illū angelus, Ne timeas Zacharia, quoniam exaudita est deprecatio tua: & vxor tua Elizabeth, pariet tibi filium, & vocabis nomen eius Ioannem: Et erit gaudium tibi & exultatio, & multi in natiuitate eius gaudebunt. Erit enim magnus coram Domino: vinū & sicerā non bibet: & spiritu sancto replebitur
ad huc

adhuc in vtero matris suæ. Et multos filiorum Israel cōuertet ad dominum Deum ipsorum, & ipse præcedet ante illū in spiritu & virtute Helix: vt conuertat corda patrum in filios, & incredulos ad prudentiam iustorum, parare Domino plebem perfectam.

Secundum Ioannem.

In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt: & sine ipso factum est nihil, quod factum est in ipso vita erat, & vita erat lux hominum: & lux in tenebris lucet, & tenebrę eam nō comprehenderunt. Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Ioannes. Hic venit in testimoniū: vt testimonium perhiberet de lumine, vt omnes crederent per illū. Non erat
X 2 ille lux

ille lux: sed vt testimonium perhiberet de lumine. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundū. In mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eū non cognouit. In propria venit, & sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius. Qui nō ex sanguinibus neque ex voluntate carnis, neq; ex voluntate viri: sed ex Deo nati sunt. **ET VERBUM CARO FACTUM EST**, & habitauit in nobis. (Et vidimus gloriam eius, gloriā quasi vnigeniti a patre) plenum gratiæ & veritatis.

SEPTEM

